



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

IX. De Extrema Vnctione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

autem de Religiosis priuilegijs immunitis: vt facultatem à Pontifice Summo ad id sint affecti. *V. etiam Eman. Roder. cum t. 1. can. & reg. q. 56. art. 1.*

Ordinariam iurisdictionem habent Pontifex (Supremam) Episcopi, Parochi: delegatam, ij Sacerdotes: quibus à Pastoribus ordinarijs administrandorum Sacramentorum facultas facta est.

Simplex Sacerdos, concedente Parocho, huius Sacramenti minister esse potest. Episcopi approbationem, pro solo Pœnitentiæ Sacramento Tridentina Synodus postulat. (Suarez. to. 3. D. 72. sect. 2. *V. etiam Rodericum art. 7. lib. c.*) & ex Clement. 1. de priuileg. discimus, Parochos, concedere posse alijs Sacerdotibus; vt Sacramenta Eucharistiæ, & Extrema Vnctionis conferant, & matrimonia solemnizent. Vide, quid tibi tuus præcipiat Episcopus.

Cui concessum ab Episcopo, vt confessiones audiat, concessum etiam, vt Eucharistiam ministrare possit, nonnullis visum est: sed hanc sententiam nec veram, nec tutam existimant *Suar.* distinctis enim actibus ministrandi pœnitentiam, & Eucharistiam, distinctæ facultatis responder.,

CAPVT IX.
DE EXTREMA VNCTIONE.

SUMMARIUM.

1. An Curatus peccet si utatur oleo veteri.
2. Quid agendum deficiente oleo.
3. An sub peccato danda sit extrema vnctio.

M. 7

4. Cui

4. Cui danda est extr. unct.
5. Quibus negatur extr. unct.
6. Quando est danda extr. unct.
7. Dando extra periculum mortis an sit peccatum.
8. Quis dat extr. unct. (unct.)
9. An plures Sacerdotes possint simul dare extr.
10. Si Sacerdos deficeret.
11. An danda sit solum petenti.
12. An necessaria sit contr. in suscipiente extr. unct.
13. An Cur. habeat minist. respond.
14. An extrema unct. ferenda cum lumine.
15. An bene retineat domi.
16. An iniungendus per ordinem ritualis.
17. Modus unguendi infirmum
18. Sacerdotes quomodo unguendi.
19. In foeminis loco renium.
20. In caco à natiuitate, muto, surdo.
21. Practica bona pro unctioe.
22. Si soluenda infirmum in unct. moriatur, an sit Sacerd. irreg.
23. Quoties sit danda extrema unct.
24. Quid agat an sit dubius Cur. uiuat ne an sit mortuus infirmus.
25. Circa obseruantiam rituum in extr. unct.
26. Bona obseruantia Cur. in extr. unct.
27. Modus properandi cum extrema unct.
28. An danda sit extr. unct. peste infecto.
29. Practica bona pro morbis inficientibus.

QVÆSTIO. I. An Curatus possit uti oleo extrema unctioe illo anno non benedicto?

RESP. Nō posse: ita de consecr. d. 3. c. literis. Si tamen antequam à cathedrali possit afferri (citra negligentiam) poterit sine peccato vetus vsui esse.

QVÆST.

QVÆST. An deficiente oleo extrema vnctionis, possit per Curatum aliud benedictum addi?

RESP. Posse, dummodo quod additur fit in minori quantitate consecrato. Ideo gustatim potest infundi. Omnes.

Si tamen posset haberi consecratum, melius esset addere consecratum. Porro oleum, quod additur fit ex oliuis. Andreas Victor de extrema vnctione.

QVÆST. An extrema vnctio necessario sub peccato sit danda?

RESP. Victorellus, An vitæ periculum excuset parochum, & prius de obligatione parochi? Curatum de iustitia teneri, & affirmat esse dandam sub mortali, eo quod ad hoc Curat. teneatur per locum Conc. sess. 23. ca. de refor. p. quod specificat Suar. cum commodè Curatus potest teneri, cum infirmus non valuit recipere alia Sacramenta, addit enim ibi Victorel. posse fieri. Vt infirmus sit attritus, & vi huius Sacramenti euadat contritus, quod est benè notandum.

QVÆST. Cui danda est extrema vnctio?

RESP. Illi, qui est in periculo mortis prouenientis à natura, siue ex se, siue à natura delibata veneno, vulnere, aut alio simili lædente Silu. vnct. q. 5. Omnes Et Sot. dist. 23. q. 2. art. 2. concl. 2. exemplificat esse tunc, quando tentata naturalia remedia non censentur sufficere pro salute infirmi. Datur etiam si infirmus esset in gratia, vel per recentem baptismum, vel indulgentiam plenariam: ijdem ibi. & Victorel. ibi.

Pueris habentibus vsum rationis est danda cum iam communicarunt. Sot. art. dicto concl. 4.

5. Sed

5. Sed an etiam ante communionem, cum alias haberent vsu[m] rationis? Credo, & bonum iudicio non admittendos scrupulos in hoc, nisi aliud declaret Episcopus.

Habentibus lucida interualla datur, si dum sanæ mentis essent petierunt illam: vel si Christianæ vixerint *Siluest. vnctio. q. 5.*

Furioso datur, etiam si resistat, qui potest ligari. Decentius tamen est teneri.

Rabido potest dari, sed cauendum ne tangatur eius sputum, seu saliu[m], quia habet vim inficiendi rabie tangentem: ideo unguatur loco oris pars vicina.

Peccatori publico. *Vide c. 5. nu. 32.*

Amentibus perpetuis non datur. Omnes.

Frenetico qui cecidit in frenesim in mortali notorio non datur. *Silu. ibi.*

6. QVÆST. Quando stante dicto periculo est dandus

RESP. Non bene dari, quando infirmus iam amisit sensum nec quando salus est deplorata. *Sot. ubi supra.*

Sed quamuis tunc daretur, non esset peccatum, quia sufficit ita dare, licet fructuosius detur infirmo integros sensus habenti. At & in infirmitate lethali, licet longa, & in vulnere violento, vel cum potauit venenū potest dari in principio morbi. Sed neque est necesse dare ante communionem, vel post eam, sed potest dari secundum urgentiam casus pro Curati prudentia. Congruentius tamen datur post quia ut sonat ipsum nomen extrema vnctio, est tamquam vltimum Sacramentorum, & remediorum infirmi.

7. QVÆST. An Curatus peccet, si det extremam vnctio-

unctionem ei, qui videtur mori, & verè non habet infirmitatem mortalem?

RESPON. Negatiuè, si quidem det de consilio medici, vel dum prudenter sic arbitratur faciendum ipse, vel alius prudens. Alias in villis oporteret Curatum esse medicum.

8. QVÆST. Quis dat eam?

RESP. Curatus, vel alius de eius licentia, si non prohibeatur ab Episcopo. Omnes. Addit *Victorellus*. Posse alium sacerdotem sub ratihabitione, immo & sine ea in extremo vitæ periculo, & hoc etiam tunc vult licere regulari, licet alij negent. *Vide cap. 5. num. 51.* At si fortè Curatus sit excōmunicatus, poterit facultatem facere alio Sacerdoti extremam unctionem administrandi. *Victorell. ibi; sed Suarez tenet contrarium.*

9. QVÆST. An plures Sacerdotes simul cum Curato eodem tempore possint extremam unctionem dare?

RESP. Posse, dummodo vnusquisque suam formam proferat, & vngat locum distinctum à socio. Communis. Sed hoc non faciendum sine necessitate.

10. Et si primus Sacerdos deficeret morte, vel alio casu, vngat alius. *Silu. Vnctio.*

11. QVÆST. An Curatus teneatur solum eam dare petenti, An vero etiam eam offerre non petenti?

RESP. Teneri eam dare petenti, siue ipse infirmus eam petat, siue domestici eius, dummodo infirmus non prohibeatur eam recipere, *ut est dictum n. 4.*

Et *Victorellus* de obligatione parochi vult Curatum de iustitia teneri dare eam saltem peccati. Item credo teneri offerre, cum infirmus.

mus.

mus nullo alio Sacramento fuit adiutus, *ut est dictum n. 3* & tunc habet valde de probabili teneri sub mortali, cum deficiat in re, quam commode præstare potest, ad quam tenetur de iustitia iuxta nu. dicto, in magnum præiudicium subditi. In alio verò casu non credo teneri offerre cum commodè non possit, & non vrgeat periculum infirmi, iuxta dicta numero dicto. Et dato quod teneatur eam dare (nam multi volunt, cum non sit Sacramentum necessarium, non teneri Curatum ad eam dandam) tamen sufficet eam dare, etiam, non auertente infirmo. Præctica bona est. Cum Curatus audit confessionem infirmi, disponat eum ad volendum hoc sacramentum quando allatum fuerit, ut ita penitens habeat fructum suæ deuotionis ad hoc Sacramentum, quo carebit, si non consenserit explicitè, in illius receptionem. Et ut animetur ad Sacramentum deuotè suscipiendum, narret illius commoditates, puta sanitatem corporis, & discussionem metus, & mœroris propter peccata admissa. *Sot. dist. dicta articul. 2. conclus. 2.* Nunquam tamen Curatus dicat infirmo intelligenti, cum fuerit tempus eam dabo; Nunc est tempus eam dandi, aut aliud simile: quia quis est, qui non timeat mortem, quam similia verba vicinam iudicant?

12. *QVAEST. An eam accipiens debeat saltem esse contritus?*

RESP. Debere esse contritum, vel saltem attritum reputatum contritum. *Suarez to. 4. disp. 41. sect. p. n. 19. & omnes.* Curatus tamen excusabitur si det peccatori incontrito, dummodo, vel ille

ille petierit, vel Christianè vixerit. Practica; Reconciliet prius in firmum, si ille valet loqui, si nō valet, inducat ad actum contritionis maiorem, quem potest.

13. *QVÆST. An Curatus teneatur habere ministrum respondentem?*

RESP. Non esse necesse. Si tamen in tuo Episcopatu aliter prouisum fuerit, obserua constitutionem. Communiter sine ministro datur.

14. *QVÆST. An Curatus peccet, si deferat extremam vnctionem sine lumine aut ceteris solemnitatibus?*

RESP. *Dictum esse cap. 5. num. 39.* Adde obseruandas constitutiones proprii Episcopi. Qui ferret sine causa, venialiter credo peccaret; qui vero cum causa nullatenus. Item si Curatus, quando de nocte timeret se vocandum pro infirmo periculoso vespere ferat oleum extremæ vnctionis in cubiculo, vt vocatus expeditius vadat, non benè agit: sufficit, relinquat in Ecclesia in loco solito, & Curatus inde assumat.

15. Sicut nec benè agit, si de nocte reuersus ab vnctione infirmi, vt se citius expediat, oleum non referat ad solitum locum, sed retineat domi vsque mane: Nullum tamen credo peccatum mortale, citra scandalum, vel periculum alicuius irreuerentiæ, & in his obseruet constitutiones sui Episcopi.

16. *QVÆST. An Curatus peccet, si vngendo non obseruet ordinem præscriptum à Rituali?*

RESP. Agat sicut præscribit Rituale: obediendū est enim Ecclesiæ. Quod si cum causa, puta, cū accedit ad infirmū videt illū spirare, & ne hoc

Sacra-

Sacramento careat, vngat partes, quæ sunt illi magis ad manus, tunc non puto eum agere contra pium Ecclesiæ sensum.

17. *QVÆST. Quomodo vngendum?*

RESP. Obseruet ordinem, & modum Ritualis. Communiter in singulis locis fit cum vnctione crux. Nota tamen quoad loca necessariò vngenda, esse duplicem sententiam, quandam affirmantem, quinque sensuum vnctiones esse necessarias: ita Victor. *de extrema vnct.* An ad singulas vnctiones, &c. & citat auctores istius sententiæ. Alteram, non esse necessariam vnctionem singulorum, sed aliquorum. Secundum primam sententiam, quæ est communis, & vsu Ecclesiæ approbata, inungenda sunt loca determinata sensuum: secundum alteram, poterunt aliqua vngi, aliqua nõ, stãte necessitate, vt in peste grassante, in qua tunc poterit vngi sensus magis expositus sub vnica forma, vt, Per istam sanctam vnctionẽ, & suam pijsimam misericordiã, parcat tibi Dominus quicquid per visum, auditũ, odoratũ, gustatum, & tactum deliquisti, & in hac necessitate organum tactus, poterit esse frons, vel genũ. Communiter verò in singulis locis sensu fit vnctio. Partes, quæ sunt binæ, vt oculi, aures, & aliæ extra necessitatem singulæ vnguntur. In necessitate verò, alterutram sufficiet ad libitum vngere.

18. In Sacerdotibus non vngitur palma, sed vola manus; *Sacerdotale Romanum de extrema vnctione*: licet aliqui negent, citatur à Victore loco *ibi*. Ego non recederem à Sacerdotali.

19. In foemina loco reaum, non vngitur umbilicus.

cus, nec partes proximiores renibus, licet *Sot.* loco dicto videatur velle hanc renum vntionē. Carentibus partibus vngendis vnguntur proximiores. Omnes.

20. In cæco à natiuitate bene vnguntur oculi, quia habuit potentiam, licet nō actum peccandi. Idem dicitur in muto, & furdo organa illorum sensuum. *Sot. ibi. Tol. tamen Inst. de extrema vnct. cap. 3. num. 8.* vult prætermittendam vntionem pedum, & renum, etiam in mare, sed certè Ritualia omnia, & praxis vniuersalis est in contrarium; Vbi tamen fuerit contraria consuetudo, seruanda est: *Victor.* loco dicto, & hoc fortè voluit *Tol.* dicere, eodem modo intelligendus *Victor.* quæ corporis partes inungendæ, &c. Vbi habet in monachis renes non vngendos. In aliquibus locis, post abstersionem locorum vntorum panno, vel bombice sicco denuo abstergantur alio panno, vel bombice madefacto, aqua prius expressa, bonum, sed non necessarium. Obserua consuetudinem legitimam loci.

21. In partibus binis fit bina crux, sed forma solum profertur semel. Vide an ista practica tibi placeat collata vntione, ego facio infirmum, ore si potest, siue mente recitare mecum symbolum Apostolorum: Postea protestari se in ea fide velle manere, ac mori, vt sicut in ingressu vitæ, in baptismo symbolum recitauit, sic in egressu ex hac vita idem repetat. Hortor deinde ad concipiendam spem vitæ æternæ. Præterea moneo ad agendas Deo gratias de omnibus beneficijs acceptis, & præcipuè quod moriatur in suo

suo lectulo Sacramentis munitus. Moneo item, ut se totum Diuinæ voluntati adaptet, eliciendo etiam actum amoris erga D. Maiestatem. In fine instruo quomodo se armet contra desperationem, vel præsumptionem proprii meriti. Docceo præterea aliquas breues orationes iaculatorias, quibus toto tempore agonis uti possit. Præterea curet Curatus semper, ut dum infirmum vngit, & ei commendat animam, astantes genuflexi actionem, & orationes suas, oratione, & deuotione iuuent.

22. *QVÆST. Si in vñctione, & propter vñctionem moriatur infirmus, an vngens fiat irregularis, puta si decumbentem supinum, ut vngat vñnes faciat voluere in latus & illa ex volutione moriatur?*

RESP. Benè vngere, qui partes viciniores locis ad vñctionem deputatis vngit. Sed licet casus dictus contingeret, nulla tamen contraheretur irregularitas, quia Curatus dat operam rei licitæ. *Sot. de Inst. num. 5. q. 1. art. 9.* parum ultra medium, & quia iste casus non est expressus à iure. Caueat tamen ab ista volutione, quia fit frustra.

23. *QVÆST. Quoties sit danda extrema vñctio?*

RESP. Semel pro eodem statu morbi, & quoties pro eodem statu infirmus reciderit, & conualuerit *Silu. vñctio. qu. 8. Sot. d. 23. quæst. 2. ar. 3. concl. 3.* Victorel. declarat posse bis dari in eadem infirmitate, dummodo, dum secundo datur, licet infirmus non fuerit prius sanitati restitutus, tamen sit verè in nouo vitæ discrimine, quod concordare videtur dictis.

24. *QVÆST.*

24. QVÆST. *Quid agat Curatus, si dubitauerit, an infirmus sit viuus, vel mortuus?*

RESP. Si nondum incepit, incipiat, cum conditione si viuit, si incepit, videat an viuat. Sed & in vtroq; casu poterit prius videre an viuat, & postea inungere. Et, si in graui necessitate, quæ mortam non patitur, poterit Curatus velocissimè sine Cruce vngere vnū oculum, vnam aurem, narē, manum, & os vnica sententia, partiales formales sententias complectens prolata, puta per istam sanctam vñtionem, & suam pijsimā misericordiam, parcat tibi Dominus, quidquid per visum, auditum, gustatum, odoratum, & tactum dereliquisti. *Vide ibi. cap. Ad singulas vñtiones, &c. habet cum Suarez ibi citato, videri sibi probabile rectè agere, vide etiam sup. xii. 15.*

25. QVÆST. *An, & quando Curatus peccet nō obseruando ritus, seu non dicendo orationes, quæ sunt in Ritualibus? loquimur dum per tempus vacat, puta quia infirmus non expirat actu?*

RESP. Formam solam esse necessariam absolute. Introeat verò, & aliæ orationes, sunt necessariæ de præcepto Ecclesiæ, & ista omittere sine causa non expedit. Reliqua, puta septem psalmos, nō credo necessarios, quia in aliquibus Ritualibus habetur. Astantes dicant septē psalmos, in alijs verò habetur, Sacerdos dicat septē psalmos, postea vngat: quia si essent necessarij de præcepto Ecclesiæ, vbique eodem modo præscriberentur. Sed & si essent de præcepto, possunt, & debent omitti in vñtione illius, qui iam iam expirat. Ita praxis vniuersalis.

26. *Expedit Curatum habere paruam crucem*

dan-

dantem indulgentiam plenariam inuocanti nomen Iesu, & hanc semper cum extrema vnctione afferre, & conari, vt infirmus dictam indulgentiam consequatur: Vel saltem hoc idem curare per globulum, benedictum vulgariter, *grano benedicto*, quem secum pro hac re habeat.

27. QVÆST. *Quanta diligentia Curatus prope-
ret pro vnctione afferenda infirmo? Vide c. 5. n. 38.*

28. QVÆST. *An extrema vnctio detur peste infecto?*

RESP. Et credo communiter non dari, cum non sit, secundum aliquos, Sacramentum absolute necessarium, sed regulæ te iuxta dicta, c. 8. num. 34. In alijs verò morbis etiam inficientibus datur. Et si volueris dare in peste, non video prohibitum, poteris tamen vti remedio dicto, c. 7. num. 75. Possè autem tunc dari instrumento ligneo, aut argenteo concedit *Victorel.* de extrema vnct. Non discedendum credo à constitutionibus tui Episcopi. Vide supra aliam practicam pro peste infectis, num. 31. cap. 3. Idem dicitur de leproso, de habente cancrum, vel vlcus fœtens, & de rabido, quia omnium est eadem ratio. Porro, quia potest contingere Curatum vocari ad infirmum, qui potenter fœteat, Curatus vtatur remedijs cap 7. num. 79. Quæ nisi profint sufficere facere necessaria, & reliqua omnia omittere.

Præterea in agendo cum istis laborantibus morbo inficiente, nota bonam practicam. Curaret Parochus habere vestes breues, & ita ad eas colligat, vt quam maximè potest, fugiat contactum infirmi: licet enim sibi hoc modo prouidere

uid
pro
mo
con
quo
vi e
rido
tom.

N

uo a
alio, a
De
legi p
ritual
hac r

6.
scien
cipiat
perfic
ment

7. E
non p
tia est
suas, e
4. dist.

Exc
crame
Vide l.

uidere utili hac circumspeditione. Et hæc nota pro omni administratione Sacramentorum in morbis inficientibus. Præterea ægrum faciat constituere in loco puro, & libero sine vestibus, quoad fieri potest, & vtatur meris essentialibus, vt est dictum num. 19. & muniat ex peste se antidotis & præseruatiuis iudicio medici. Suarez tom. 4. disp. 44. sect. 3. num. vlt.

A. V I C T O R E L L I

AD CAPVT IX. NOTÆ.

Non posse, &c.] Vti veteri oleo, (sine contemptu & scandalo) lethalis culpa nõ est. De chrismate veteri comburendo, & nouo adhibendo præceptum extat cap. si quis de alio, de consecr. dist. 4. c. litteris, dist. 3.

De nouo infirmorum oleo vlturpando nullum legi præceptum, seruanda tamen consuetudo: & rituali tui Episcopi libello obtemperandum. De hac re in Disput. de vnctione extrema, pag. 8.

6. Si nullo periculoso morbo laboret homo, sciensque & prudens extremam vnctionem recipiat, peccat mortifere: & Sacramentum non perficitur: neque enim quilibet ægrotans Sacramenti huius est capax.

7. Excommunicatus iurisdictionem exercere non potest: sed, quam docui, communis sententia est; & Suarez ipse excommunicatum vices suas, ex accidenti delegare posse non negat, to. 4. dist. 44. sect. 2.

Excommunicatus non vitandus, si vocatus Sacramenta ministret, nõ peccat, vt multis placet. Vide l. de extr. vnct. p. 92.

15. Vnctionem quinque sensuum necessitate præcepti, necessariam esse, quidam putant: ut Sot. 4. d. 23. qu. 2. art. 3. Val. to. 4. d. 8. q. p. 2. etiam necessitate Sacramenti S. Thom. 4. disp. 23. q. 2. art. 3. hæc ait. [Illa vnctio ab omnibus obseruatur, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate Sacramenti. *Plura in nostro libr. de vnct. extrema, pag. 61.*

Sensus magis expositus, &c. Hoc non probat Suarez, (quod notatum est à me pagina 66. in eodem libro) nec probarent Sot. & Val. existimantes quinque sensuum organa necessitate Sacramenti perungenda.

In monachis renes, &c.] Sot. li. ca. hæc habet [Vnctio in renibus posset optime excusari: quare in religionibus, & in quamplurimis Ecclesijs vnctio illa non est in usu, propter pudorem, præcipue in fœminis.]

17. In nouo vitæ, &c.] Ita sentiunt Albert. Mag. 4. d. 23. a. 21. Petr. à Sot. lect. 2. de extr. vnct. ex D. Tho. Sot. 4. disp. 23. qu. 2. art. 3. Suarez to. 4. d. 40. sect. 4. num. 5.

21. De diligentia. Vide Concil. Mediolanens. 4. & 5. & qua à me scripta libro de Extr. Vnctio præterea S. Malachix exemplum à S. Bernardo narratum, & à me relatum l. cit. pag. 137.

22. Parochum vnctionem extremam cum vitæ periculo administrare debere, nonnulli censent. Suarez to. 4. dist. 40. sect. 3. de hac re copiose differit, & ita statuit: si impendeat verum morale vitæ periculum, quod vitare Parochus nequeat, non tenetur, cum tam graui periculo, vnctionem præbere: tenetur tamen aptis medicorum reme-

remedijs vti, vt periculum vitet, vel illud præuenire: at si postquam omnia præstitit, morale periculum adsit, non tenetur; tenetur, si absit.

Teneaturne Parochus tempore pestis Sacramenta per se ministrare? *Suarez* Parochum excusat, si idoneum Vicarium habeat, qui diligenter id efficiat, & necessariam ouium necessitati opem ferat: nec eam idoneo diligentique Vicario instructum cogeret, ad habitandum intra fines loci quem pestis vexat; dum tamen proximè adesset, animoque pro ouium salute diligentissime excubaret: & eas Vicario ministro diuinis aleret alimentis.

A P P E N D I X.

De Vnctione extrema.

CHrisimate, ex oleo, & balsamo, aut oleo catechumenorum vnctionis extremæ sacramentum ministrandum non est: alterutro tamen peracto valeret. Oleum debet esse ex baccis oliuarum expressum, & ab Episcopo, necessitate Sacramenti, consecratum: Si Deus per miraculum liquorem aliquem in verum oleum verteret, id quoque aptum esset. Forma deprecatoria est: Trinitatis inuocatio, aut crucis efformatio, ad Sacramenti essentiam non spectat. Senes, dum ijs ex senio mors impendit, vnctione sacra liniri possunt; de angium moribus ictis, de vulneribus affectis, de mulieribus in vitæ discrimen ex partu vocatis, idem sentiendum: Si post vnā, aut alteram vnctionem, quia hominem mortuum putabas,

alias omifisti: dum eum viuere agnofcis, omif-
 las adhibe. Adultis ftatim pofl baptifmum, mo-
 rituris, ex morbo, miniftranda Vnctio, iufifque
 ex maternò vtero. Confeflio præmittenda, non
 tamen ex præcepto. Cum nota attritione fufci-
 pi non poteft, quia ftatum gratiæ poflulat: attri-
 tus tamen, qui fe inculpabiliter, contritum pu-
 taret, hoc remedio iufus efficeretur. In fufci-
 piente fufcipiendi facramenti pofpofitum, im-
 plicitum faltem, & petitio, faltem interpretati-
 ua requiritur. Quinque, vt vidimus, fenfuum or-
 gana neceffario inungenda, & ad fingulas vn-
 ctiones fingulæ parciales formæ pofferendæ
 funt. Duo oculi, duo pedes, duæ aures, duæ na-
 res, duæ manus liniuntur: vnus tamen oculi,
 auris, naris, manus, pedis vnctio fufficeret ad va-
 lorem facramenti. Præpoftero vti ordine pec-
 catum eft, fed non irritatur Sacramentum.

Sub mortali peccato, facram hanc Vnctio-
 nem ab ægrotis in vitæ periculo conftitutis, fu-
 fciendam effe Petr. à Sor. *lect. 2. de ext. Vnct.*
affirmat: alij plures negant, fi defit contemptus
 Petr. à Sor. probabiliter loquitur; non improba-
 biliter alij. *vide Suarez tom. 4. diff. 44. fecl. 1.*

Initio diuturnioris lethalis morbi hoc Sacra-
 mentum conferri poteft, & in diuerfo mortis
 articulo iterari. Solus Sacerdos eft minifter, fi
 Diaconus, aut laicus perungeret, lethali facrile-
 gio fe obstringeret, & Sacramentum nullum ef-
 fet Epifcopus, Parochus, & ille Sacerdos, cui ab
 his facultas facta eft, iufte miniftrare poteft. Qui
 fine facultate, aut rati habitatione, vel neceffitate
 grauiffima, minifter effet, delinqueret grauiter:
 & fi

& si regularem trium votorum vitam professus esset, excommunicationis pœna plecteretur. Greg. de Val. tom. 4. d. 8. quæst. 2. part. 1. cum alijs quibusdam, sæculares etiam Sacerdotes huius legis violatores excommunicationis mucrone feriri putat: se Clem. de solis loquitur Religiosis, & pœnæ sunt restringendæ, c. odia de reg. in. in 6. [Religiosi qui Clericis, aut laicis Sacramentum vñctionis extremæ, &c.] Hanc veram sententiam quo Suarez que tuetur tom. 4. d. 44. sect. 2.

Plures Sacerdotes, vnus post alium, immo eodem tempore, si vnusquisque lineam, & formam proferat, hoc Sacramentum valide ministrare possunt.

Hæc omnia, & alia multa, scitu digna, qua potui diligentia, in edito de vñctione extrema tractatu persecutus sum, ad eum confuge, si paucis hisce, necessarijs hac breuitate indicatis, contentus non es. De effectu huius Sacramenti hic nihil, ibi multa. Nicolaum Serrarium de extrema vñctione scripsisse, testatus est Petrus Ribadeneira in Catalogo Scriptorum Societatis Iesu: aut ego eam lucubrationem non vidi.

CAPVT X.

DE MATRIMONIO.

SUMMARIUM.

1. Requisite à Concil. Trid. pro matr.
2. Denunciations quot, & quales.
3. Quis dispensat in denunciationibus.
4. An creditur Vicario iubenti denunciat fieri.